Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sammelband aus verschiedenen Heften - Cod. Ettenheim-Münster 377

[S.l.], [17./18. Jahrh.]

Declam. ad festa pasch.

urn:nbn:de:bsz:31-133209

Visual Library

Declamaõ ad Festa Paschalia De Gloriosã Chri victoria

Numinis illustre superata morte triumphum
Infernas acies, formidatasq Leonis
Tartarei rabiem, et regna Secreta trifaucis,
Lethaeasq vias pando, Superasq sub auras
Erectas animas, raptasq ê faucibg Orci
Namq novum devicto hodie novo ab hoste tri= umphum
Victor agit novg, et manibg post terga revinctis
Adstrinxit Ditē, nodisq ligavit ahenis,
Imanesq Orci postes, fraudesq potentis
Infregit. fretg eo accedā phlegetontis ad ima
Stagna, triumphantesq DEUM, prædasq retexā
Queis victa spolijs post aspera fata revertit.
Dij qbg Imperium lucis sit numine vestro
Fas mihi ipsa loqui breviter, Secretaq Ditis
pandere, res alta terra et caligine mersas.
Attollit Spartana ingens praenobile tellg
Robore frondosis liquidis ubi Taenarg undis
Eminet. hic atri reserat se Janua ditis.
Ingentisq specu media se scindit, hiatq
Faucibg immensis, vastaq voragine rupes
Se se lato aperit lato mortales tramite ducens
Non primo statim caecis obscura tenebris
Est via, sed sequitur solis post terga relicti
Fulgor, at exiguus qualē fert fine renascens
Seu de festa dies solis iam luce senescens
Trine angelus navis laetatis sedibg antum

Humanum genus omne suis quod claudere posset
Faucibus, et nondum saturato abscondere rictu.
Haud procul immensis qua sese sanguinis atri
vorticibus Lethes solvit, lacrimabile luctu
Ingemit omne boatu feris ululatibus antrum.
Supplicia hic quaecunque olim finxisse Poetae
visi oculis fulta fidelibus, omnem
Ex animo tollant studia in contraria sensum.
Ipso in vestibulo primisque in faucibus orci
Moenia visuntur triplici circumdata muro
Quae rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa
Porta adversa, ingens solidoque adamante columnae
vis ut nulla virum, non ipso conscindere ferro
Coelicolae valeant; stat ferrea turris in altum.
quae patet in praeceps tum, tenditque sub umbras
Quantus ad aetherium suspectus Olympum.
Hic exaudiri gemitus et saeva sonare
verbera, tum stridor ferri, tractaeque catenae.
Nam piceata palus, sedesque profunda nocentem
Exagitat turbam, quae quondam infame pudendi
Criminis (excusa nam lege) theatrum,
Pentapolim fecere sibi: quos sulphure misso
Altitonans, piceoque iratus subruit imbre
Evertitque lares, et fumo hunc fumantia late
Stagna superfudit, veterem testantia noxam.
Hic alii (quos flamma rogis ardentibus ambit,

Amphoraq̃ infuso semper rigat ignea plumbo :)
Immodicæ consueta gulæ convivia damnant
Serò nimis, gelidamq̃ labris sitientibus undam
Irrita vota petunt, cum solo detur anhelum
Sulphuris igniti moderare plasmata guttur.
Hic scopulos alij supra volvunt acutos
Præcipites ruunt: iterumq̃ è valle retracti
Alternas ineunt ob eadem rupe ruinas
Instabiles semper, quos olim magna iuvabat
Quærere fortunæ ludentis inania: quorum
Aucupio captatus honor, peregreq̃ petita
Gloria contemptu populum præstâre minorem

Proxima castra tenent, odijs quos acribus egit
Invidia stimulante furor, nunc ecce colubris
Undiq̃ perplexi roduntur edacibus omnes,
Perpetuumq̃ oẽs iterandi in vulnera durant.
Rursum alij quos dura fames exercuit auri,
Atq̃ alij quos ira nocens, aut improba mentis
vexavit rabies, aut desperatio versas
In iugulum torquere manus pertæsa coëgit
Quam lugent miseri! quam vellent æthere in alto
Nunc et pauperiem et duros perferre labores,
Fata obstant, tristiq̃ palus innabilis undâ
Alligat, et novies Styx interfusa coercet.

Huc subijt Christus cum primum corpore victor
Spiritus exilijt, radiorum luce coruscus
Per cæcos penetrans adytus, perq̃ invia pergens
Aligerûm magno numero comitatus Euntem

Coetus, et invictum stipat victricibus armis
Janua nulla patet, prohibent adamantina claustra
Ingressum, sepes, aeratiq̃ noxia pellunt.
Non tulit Ille moras indignabundus Averni
Fit via vi, validis intorquet viribus hastam
Mox crucis aeterno muniti robore Ditis
Procumbunt postes, robustaq̃ pondera centum.
Horrendis Stygii resonant impulsibus Agri
Tum ferale Chaos, Ditisq̃ arcana patescunt,
Erumpunt atris permixti nubibus ignes,
Flammarumq̃ globi volvunt, et undiq̃ fumus,
Qua data porta ruit, totoq̃ exaestuat antro
Atq̃ immensa specus, vastaq̃ voraginis intus
Sulphureo stagnans aperit flumine gurges
Innatat horrenti stagno genus omne draconum
Pestiferiq̃ trahunt longo sese agmine vermes
Et dictio Sontûm, longoq̃ volumine manes
Implicitos cingunt, lapsiq̃ per ora nocentum
Impia perpetuo rodunt praecordia morsu
Illi nec quicquam replent ululatibus antrum
Et frustra triplices plantasq̃ manusq̃ catenae
Constrictae nodis, pascentes artubus arcent.
Hos Deus increpitat, spretiq̃ palatia Coeli
Exprobrat, atq̃ duce tragedis his vocibus instat
Vah miseri! quos hoc tetrum pro divite Coelo
Delegisse Chaos placuit, stygiasq̃ cavernas
Posthabito coluisse polo? concessa potestas
Libera numquid erat vobis quodcumq̃ legendi?

Per vates ego saepe sacros tormenta minasq̃
Praecinui: iocus haec fuerant et fabula surdis.
Sperne voluptates, contemnito gaudia dixi,
Mille parit luctus brevis unica et una voluptas.
Nunc modo sabellis vris gaudete, cocisq̃
Aeternum, aeternum tosti cruciatibus ignis.
Dixit et aeterno solus se protinus antro
Proripit et clausis á tergo postibus addit
Mille seras, munitq̃ ingenti robore portas
Illi indignantes magno post terga latratu
Scomata congeminant blasphemi mille, Deumq̃
omnibus addicunt caeso conamine diris.
Urit his ~~hic~~ flammis (aiunt) compegeris artus
Hos quicunq̃ meos, Triados maledicta potestas
Spiritui aeternam tribuit qui vivere vitam.
Heu mihi nor merui quod per crudelia Matris
viscera profundi partu bz pro coce, ventris
Immaturum onus, absq̃ ara! cur vita parenti
Non ablata fuit delapsi fulminis ictu!
vel ferro, vel cur non hausti peste veneni
occubuit Mater! concepto semine, coepit
Cum formare meos artus, sedemq̃ parare
Spiritui aeterni dando cruciatibus ignis!
Sic scelerata Phalanx Stygiae devota paludi.
Interea victor. Cocyti tranatat Amnem
Christus, et ingreditur Stygii penetralia regni
Intima perscrutans. medio stat ferrea turris
Haud procul in Campo, tenet hanc rex ferreus Orci.

Terrore attollens oculos, præfixaq̃ fronti
Cornua nigranti semper squallentia fumo
Dira fremens, præsisq̃ infrendens dentibus atrox.
Cerbere hic ingens latratu regna trifauci
Personat, atq̃ ferox timidas perterritat umbras
Tempora prolambunt atro fluitantia tabo
Serpentes, horrent innexa volumine colla
Vipereo, intorto longus draco syrmate mugit
Hic ubi (nocturnas solitos sentire l. umbras)
Figentem proprius Chrum vestigia sensit
Mox ferus hirsutis vibratos crinibus angues
Tollit, et emissum surrectis auribus acer
Explorat strepitum. Propior cum virgine natus
Adstitit, obniti haud ausus, perterritus antro
Sese abdens triplices fauces submisit et aures
Composuit timidus. Circum turbare latratu
Haud tn̄ abstitit loca nocte silentia laté.
Interea exciti monstri clamore trifaucis
Horrendi forma proceres é vallibus altis
Prosiliunt frontes præfixi cornibus atris
Turpia porcinis horrentes corpora setis
Vulcanum, fumumq̃ vncis é naribus efflant.
Sed nimio postquam Chrum videre coruscum
Numine, perculsi insolito splendore, retrorsum
Terrarum repetunt sibi nota latibula, valles
Et super iniecti obvolvunt se pondere montis.
Infremuit viso Princeps Acherontis et quo?
Quo ruitis? quæ vos s cæpit formido scelesti!

Anne fidem mihi iuratam vos fallere fas est?
Heus socij, prodite foras, properate, redite
Quae vos segnities? timidos quae causa moratur?
Eia agite, Arma viri, arma citi: conscendite turres
Pellamque nostris violentum viribus hostem.
Anxius hoc Pluto socios clamore requirit
Necquidquam timidos revocans in praelia larvas.
Quin socia horrendae sonitu perterrita vocis
Se magis in vastas demersit turma cavernas.
Consilij haeret inops ille, atque ex mille nocendi
Artibus una subit tantum in discrimine tanto.
Bellorum in patriam loca facta furentibus oestris
Pergit ad Eumenides. posuêre cubilia tristi
Sub saxo ternae furcata mente sorores,
Rixam, Iram, Invidiam vinclis ac carcere frenant.
Illae indignantes magno cum murmure montis
Intra claustra fremunt, turbantque loca omnia passim.
Eumenides palpo mulcent à vertice magno
Pendentes visu, dubijsque amplexibus Angues,
Rixa, Iraeque animos placant, et pectora mulcent.
Ni facerent maria ac terras, coelumque profundum
Jam subversa forent, rerumque pulcherrimus ordo,
cunctaque naturae praepostera legibus irent.
Sed Pater omnipotens speluncis abdidit atris
Hoc metuens, vinclisque feras astrinxit ahenis
Reginasque dedit certo quae foedera possent
Et premere et pressos vinclis exsolvere iussae.

Ad quas tunc Pluto verbis ê talibus usus:
Eia age (nam vobis divum Pater atq hominum rex
In furias dedit, inq iras impellere mentes).
Eia agite, atq inopem lapsuro succurrite regno
Jam sacras Erebi portas ferus obsidet hostis,
Jam parat et praedam superas abducere in auras
Quam longis tenui vinclis, ac carcere clausam.
Sumere tela neget socios, formidine vana
Perculsi, Stygis ignotos petiêre recessus.
Quin certo concutitis timidorum pectora maior
Excoquat Ethnaeis, q̄ꝑ q̄ furit ignibꝫ, aestq.
Sunt mihi bis centū squamosa mole cerastae
Quorum qui Stygijs sese vastissimus undis
Caeruleus erecto longoq volumine volvit
Adiungam decus hûc capiti, pulcherrimq ipse
Pulchros ut crines meritis pro talibꝫ, ornet.
Haec Pluto, tunc sic ê exorsa Megaera,
Nos iussis Rex magne tuis parere, tuoq
A regno sociâ vi pellere convenit hostem.
Et iam eamq suis vinclis absolvo furorem
Praecipitet socios nefas ut in omne, struant ut
Audaces hosti posita formidine bellum.
Jamq furit metuenda Chors Rex magne penates
Tu modo vise tuos, specubusq excito sepultos.
Sic furiae sacrae. Pluto palatia iussus
In sua discedit, certq sibi, deq triumpho.
Nil iam solicitq, solum hoc cum corde volutat

Ultrices victo poenas quas erroget hosti.
Testor ait sacrum hocce meum et venerabile Numen
Testor regna Stygis, sacras contestor et undas,
In caput hocce meum, saevos Ixionis orbes
Hostis ego vidi si non aptavero membris,
Tantalea si non vexaro, fameque sitique,
Ad senis Aeolij si non damnavero saxum.

Interea magna sed spe latratus inani
venerat ad socia sibi nota latibula turmae
Et procul heus socij: Mavortia pectora ad estdum
Chara Deum soboles, virtus Stygis unica adesdum
Jam tandem deserta redite in praelia fortes
Stentoreo tremuit tellus concussa boatu
Atque quater decies alterna vocis imago
Collibus excelsa intonuit resonabilis Echo.
Fit fragor horrisonus, panduntque viscera terrae
Nox behemoth, Bissasque duces et turpis Alastor
montibus effractis adstant, primusque Malamque
Militiae Princeps stipulatis unguibus, omne
Ad scelerum genus abiectam, promptamque Phalangem
Plutoni lethes tastatus iura sacravit
Ocys ille furens, furiatum ducit in hostem
Agmen, et ingreditur primus capita ardua tollens
victricemque Dei vocitans in praelia dextram.

At velut ingenti correptus fulmine ventus
Involvit cineres, superasque iratus in auras,
Avehit, ancipitique parat vertigine lapsum:
Aut velut excussus disruptis nubibus ignis
Dividit offsam terebrati fulmine quercum,

Labit haec, sternitq̀ umbroso vertice centum
Jugera, vicinumq̀ suis nemus omne ruinis
Obruit, et simili cogit succumbere sorti:
Sic Deus intorquens sacrati hastilia ligni
Vulnere transadigit primo per colla Tyranni.
Sternit ille simulq̀ oris procumbit humi Styx
Cingere se frustra telis ultricibus ausa
Adversusq̀ Deum invictum meditata duellum
Diris in Stygiam vinclis religata paludem
Admissi meritas solvit pro crimine poenas.
Sic Orcum domuit Christus fregitq̀ rebelle
Regnum atq̀ invictis prostravit viribus hostem
Nec tamen absistit spoliisq̀ victor opimis
Praedet Stygii Plutonia b regna Tyranni.
Ergo et foribus succedit maximus ultor
Carceris antiqui quo stirps sanctissima mundi
Insontes animae collectae condito ab orbe
Inclusae vixêre diu sub nocte silenti.
Non tn̄ hos Erebi furiae, non flamma, nec ullae
Divexant poenae, nec flagris ora rotantur.
Caeteraq̀ impuros barathri torquentia manes
Supplicia hinc absunt ea tn̄ cura fatigat
Quod spectare Deum nequeunt, quod luce carentum
Non datur aspectus per plurima saecula lucis
Nec pulchra erectos ad sidera tollere vultus
His igitur lucem precibus tam fortè vocabant.
O lux alma veni tot mille cupita per annos
Nos quando eripies? cuius manus eximet umbris?
Et Diti ereptos ad debita limina ducet?

Qua te parte poli l. quo sub cardine vindex
Noster quaeramque? Tu nos absolve catenis;
Ecce quod aetatis vitam iam traximus atris
Carceribus clausi, huc aliquando dirige gressum
Promissique memor servorum invise tuorum
Qua sumus inclusi caveam iubeasque licere
Hinc efferre gradum, et libertatem afferre nobis.
Haec dum vota, preces, tristi sub pectore versat
Et duplices coeli tendunt ad sidera palmas
Succedit Christus portae pulsatque triumphans
Ferrea percussu victricis limina dextrae
Solaturque sacras his sic vocibus umbras
Hic Ego sum vobis tot mille cupitus,
Hic Ego crudeli vestram qui morte salutem
Pensavi; exorior vobis nova gaudia portans.
Parcite iam lachrymis, longo vos solvite luctu,
Eripiam tandem vinclis et tristibus umbris,
Ereptosque feram superas hinc victor ad auras,
Inferni mecum regni spolia ampla reportans
Ac iam iamque citi properate, accurite, tergum
Figite pone meum laeto vestigia gressu.
Dixit et extemplo glomerantes agmine longo
Succedunt, et iussa legunt vestigia manes
Sicut ubi Cives longa obsidione premuntur,
Tunc si forte acies illis advectat amica,
Gaudia et antiquas vires, animosque resumunt,
Sic subeunt Christumque legunt vestigia laeti
Et penetrant faciles Solymorum ad moenia Patres.

Sic ubi depositos tumulo monstraverat artus
Victor, et innumero foedatum vulnere corpus,
Caesariem, mentumque atro sordentia sputo,
Oraque ab immodicis multum liventia pugnis
Viscera per laceras iam poene fluentia costas
Sparsaque mille alijs ingentia vulnera membris,
Hocque tyron partae cum dixerat esse salutis
Corpore nox rursum sese convestijt illo
Constitit et tanta radiorum luce coruscus
Quantam nec Phoebus, nec quamvis splendida praebent
Astra poli, summo quando splendore coruscant.
Extollunt hilares hilari praecordia plausu
Patres et simili linguam sermone resolvunt:
Vicit Io bellator Io fortissimus Heros
Qui nostram dira pensavit morte salutem,
Vicit et infami prostravit daemona ligno
Subiacet humani tunc tandem nominis hostis
Vicit Io bellator Io fortissimus Heros
Vive triumphator semper celebrande triumphis
Vive tot exhaustos post mille et mille labores,
Vive tuis semper celebris Rex magne triumphis.
Interea croceis tollens se Phoebus ab undis,
Reddidit Aligeris cantum, pratisque virorem
Certant astra novam victori affundere lucem,
Ipse novus Titan radios miratur JESV.

Mirantur reducem splendenti corpore Christum
Qui tumulo exierat, positosque resumpserat artus
In terrisque novum mirantur sidera Phoebum
Vincimur exclamant, gaudetque hoc lumine vinci
Titan, sole novo sensit sibi crescere lumen.
Et iam finis erat, confectaque meta laborum,
Donec post aliquot soles sublimis in auras
Evectus secum raptam de faucibus orci
Eduxit praedam, Coeloque invexit aperto.
Nunc age Christe Heros qui victa morte triumphas
Effice nos etiam regni melioris Alumnos,
Ambiguaque iuva superare pericula vitae,
Linquere da terras, et Coelo sede potiri,
Omnis ubi civis victori dulcia pangit
Carmina, et aeternum laudis praeconia cantat.

Finis

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg